



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De gula & filiabus eius, cap. 73

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*De Gula*

**G**ula est solius corporis causa immoderatus & illecebrosus comedendi bibendique appetitus. Huius filiae sunt, immunditia, scurrilitas, inepta laetitia, multiloquium, hebetatio sensus circa intelligentiam. In gula sunt quinque gradus peccadi, primus est cibos pretiosos & delicatos exquirere, secundus curiosè preparare, tertius ante tempus sumere: quartus nimis audiē, quintus in nimia quantitate. Gula primus homo vinctus in paradyso succubuit: haec Esau primogenita surripuit: gula Sodomitas ad peccatum maximum incitauit; ipsa filios Israël in deserto prostravit; Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Iniquitas Sodomæ fuit saturitas panis & abundantia. Homo Dei, Abdo scilicet, mislus in Bethel, propter comeditionem à leone occiditur. Diues, qui epulabatur quotidie splendidè, in inferno sepelitur. Nabuzardan princeps coquorum, id est gula, Ierusalem destruit. Vides quanta sint pericula in illa? Accedant & testimonia; ait Salomon: Væ terra, cuius principes manè comedunt. Item: Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non replebitur. Et in Euangelio Dominus: Videte ne corda vestra grauentur in crapula & ebrietate. Item Apostolus: Honestè ambulemus, non in comeditionibus, &c. Prima Christi tentatio à diabolo per gulam facta est: vnde Hieronymus dicit: In pugna Christi, prius agitur contra gulam ieiunando, per quam vinctus est primus homo. Quam valida & importuna sit nobis vitij huius tentatio, quibusdam recentiori tempore gestis pandam exemplis. Ordinem etiam, in quantum potero, nec non & modum supradictarum tentationum Adæ scilicet, Esau, & reliquorum, qui illic enumerati sunt, seruare studebo.

## CAPUT LXXIII.

*Gula tē-tatio quā tempor-tuna.* **C**oloniæ in maiori ecclesia Decanus quidam erat natione Suevus, vir diues, prudens, & honestus, in consilio Frederici Imperatoris satis acceptus. Hic cum in pomario suo pomum nouellam plantam